

Psalmus responsorius

Ps 125, 1-2ab. 2cd-3. 4-5. 6 (R̄: 3)

R̄. Magnificávit Dóminus fácere nobíscum;
facti sumus lætántes.

¹ In converténdo Dóminus captivitátem Sion,
facti sumus quasi somniántes.

² Tunc replétum est gáudio os nostrum,
et lingua nostra exsultatióne. R̄.

Tunc dicébant inter gentes:
«Magnificávit Dóminus fácere cum eis».

³ Magnificávit Dóminus fácere nobíscum;
facti sumus lætántes. R̄.

⁴ Convérte, Dómine, captivitátem nostram,
sicut torréntes in austro.

⁵ Qui séminant in lácrimis,
in exsultatióne metent. R̄.

⁶ Eúntes ibant et flebant
semen spargéndum portántes;
veniéntes autem vénient in exsultatióne
portántes manípulos suos. R̄.